



ILLVSTRISSI-
MO ET REVERENDIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. EO-
THARIO DEI GRATIA SANCTÆ TREVER.
ECCL. ARCHIEPISCOPO, PRINCIPI ELECTORI,
regni Arelatensis Archicancellario, Administratori
Prumiensi, Domino suo clemen-
tissimo.



*I*n hoc veterum Scriptorum, & illu-
strium hominum condendo Lusto, no-
minis tui, Lothari Princeps, rationem
non habere, nefas putavi. Et si enim è fer-
rugine splendorem petere; id est, ex perte-
nui hoc scriptionis genere, accessionem
amplissima dignitati tue fieri, haud posse mihi facile per-
suadebam, ut tamen Alexandri effigiem non cuicuius-
modi artificum, sed uni Lysippo fingere, unique Apelli pin-
gere concessum est, sic S. Pirminij Episcopi & B. Luduici
Comitis Arnsteinij memoriam, qua tua in ditione pro-
pagata, vel nata, & maiorum tuorum Luidolfi, Adelbe-
ronis & Hillini clarissimorum Pontificum favore & be-
nescentia illustrata est, tibi, tuoque nomini inscribi, & à
te vel postliminij iure vindicari, par est. Habebit ea vin-
dicatio, uti spero non gratiam modo apud veros rerum
estimatores, sed pariet apud nobiles & generosa stirpis ho-

mines iudicium & emolumētum: ut quos Maiores, quibus virtutibus, qua religione & rerum humanarum cōtemptu, pudicitia frugalitatis laude excellentes habuerint: & quo in eos ipsi animo extiterint, quorum vultus, nomen, & presentiam vix iam eorum posteri sustinent, hos oculis, quod dicitur, apertis intueri, & vel sero agnoscere cupiant. Nota hic sepiarum artes, Illustrissime Princeps, quæ offuso velut atramento aquam solent turbare, & piscatori prospectum adimere, quo ne concludi pisces, & retibus pulchrè amiciri possint, digni cetero qui maiorum septis & Ecclesiæ viuarijs amœnissimis includi, nulla, ut ipsi putant, seruitutis noxa: sed ingenua summaque libertatis magna gloria. Sed hæc illi viderint. Hos interim vades & obseruātia erga Celsit. U. meæ testes S. Pirminum V Vesterrichi inquilinum, & B. Luduicum Logana tractus incolam Illust. Princeps, accipias velim: nō, quo, ita beneficio, quod exiguum vel nullum est, ullo obligari se sentiat, sed quod bene merito de Societate nostra, & eius commodis presidijsque rectè consulenti gratum esse videri, & muneris mei & omnium nostrum arbitratus sum interesse, Fulde anno MDCXIV. Mense Sextili.

Celsitud. Vest. cliens
humillimè deditus
Christophorus Broverus.

BED Æ. & aliorum
MARTYROLOGIA
III. Nouembris

DEPOSITIO S. PIRMINI EPISCOPI
ET CONFESSORIS.

PROLO.